

que tamen displicet, si dicas debere Davidem, quòd regnum obtinuerit, quòd libertatem et vitam non amisit, Dei benignitati ac mansuetudini: cum enim propter peccata hæc omnia anittere jure perquam optimo debuerit, divina tamen clementia non solum hæc omnia non eripuit, sed etiam multiplicavit et vitam et regnum. In psalmo 17, additur hic unus versus: *Et disciplina tua correxit me in finem*, etc., cujus non est difficilis explicatio.

VERS. 37. — DILATABIS GRESSUS MEOS SUBTUS ME, ET NON DEFICIENT TALI MEI. Hæc in psalmo 17 reddita fuere per præteritum, et sic arbitror hæc eadem verba hoc loco esse interpretanda, juxta regulam à nobis ante propositam. Ante divinus Psaltes significarat coarctatos esse gressus, cum per loca incederet angusta et aspera; non enim, ut vidimus, poterat quamcumque in partem vellet, progredi ac spatium liberè, cum vel adesse videret, et circumstare potentiorum hostem, aut certè suspicaretur non abesse longè. Deus tamen perfecit, ut tutò posset ex angustiis illis spatiis emergere, et in illis deambulare locis, in quibus neque laberentur, neque lassarentur pedes; aut sublato Saule, cujus insidiis, quasi quibusdam venatoriis retibus cingebatur; aut certè discedente longius ab speluncis, in quas seipsum, ut hostem effugeret, cum sociis addiderat. Illud *subtus me*, est quoddam gressuum, aut pedum epitheton familiare: quia enim pedes extremum aliquid, et infimum sunt sub homine, ideò subtus hominem esse dicuntur. Deficere talos idem est quòd lassare pedes, neque in locis etiam firmis posse consistere. Quod in his qui à Deo recesserunt, contingere solet non infrequenter. Quod peccatori populo in dirà Jerosolymæ vexatione, ac vastitate accidisse luget Jeremias Thren. capite 4, vers. 18: *Lubricaverunt vestigia nostra in itinere platearum nostrarum.*

VERS. 38. — PERSEQUAR INIMICOS MEOS, ET CONTERAM, ET NON CONVERTAR, DONEC CONSUMAM EOS. Cum stare à se Deum meditatur David, tam est alacri atque erecto animo, ut nihil sibi eo adjutore atque auspice metuendum putet. Ut autem cecinit psalmo 26: *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum*, et alibi millies; sic etiam hoc loco nihil sibi dicit metuendum ab hostibus, quorum arma usque adeò non perhorrescet, ut etiam persequi audeat; neque à persecutione cessandum, donec omnes ad unum debeat. Illud, *non convertar*, modus est dicendi familiaris Hebræis,

quo significant animum sic obstinatum, et intentum ad opus, ut nullo impedimento retardari, nullo abduci periculo possit, quominus aut aggrediatur quæ cogitavit simul aut cogitata perficiat. Quasi dicat: Non abistam à persequendo, non quiescam, aut convertar ab studio conatuque cædendi, donec rem totam funditus absolvero.

VERS. 39. — CADENT SUB PEDIBUS MEIS. Plurima ex his quæ subsequuntur, explicatione non egent; quæ id agunt, aut penè solum, aut præcipuum, ut partem de hostibus victoriam aliis atque aliis dicendi formis et figuris amplificent, dum fugientes aut cæsos, aut certè jam subactos et supplices ostendunt. Cadere sub pedibus, id, opinor, significat, quod plurimis aliis Scripturæ sacræ locis audimus: nempe victos hostes vincuntium subesse vestigiis, et eorum cervices victorum pedibus superbè calcari. Quà de re nos pluribus ad illud Isaïæ 29, v. 4: *Humiliaberis, de terrâ loqueris, et de humo audietur eloquium tuum.* Isaïas iterum cap. 60, v. 14: *Venient ad te curvi filii eorum qui humiliaverunt te, et adorabunt vestigia pedum tuorum.* Baruch capite 4, vers. 25: *Persecutus est te inimicus tuus; sic citò videbis perditionem ipsius, et super cervices ipsius ascendes.* Sanè hoc ipsum fecisse traditur Josue capite 10, v. 24, qui cum è speluncâ ad quam quinque reges abdidierant sese, foràs extraxisset, jussit illorum colla suorum pedibus ignominiosè calcari. *Cumque educti essent ad eum, vocavit omnes viros Israel, et ait ad principes exercitus, qui secum erant: Ite et ponite pedes super colla regum istorum.* An hoc aliquando fecerit David, non constat, quod ego viderim, licet fecisse aliquando videri potuerit, cum per Ammonitas egit ferrata carpenta. Sed utcumque sit, quia esse sub alicujus pedibus, proverbiali specie, insignem indicat gloriosamque victoriam, dum eo loquendi genere utitur David, illustrem de suis inimicis triumphum prædicat. Idem porrò magis explicatè significat statim v. 40: *Incurvasti resistentes mihi subtus me.*

VERS. 41. — INIMICOS MEOS DEDISTI MIHI DORSUM. Adducit alterum insignis victoriæ illustre documentum, cum dicit datum esse sibi inimicorum dorsum. Quid tamen hæc dicendi figurâ proverbiali, ut reor, significetur, obscurum est. Omnes penè de fugâ inimicorum accipiunt, qui cum urgeri se ab hoste potentiori vident; et de sanguine ac vitâ certamen esse meditantur, non audent adverso corpore cum hoste conflare, sed converso ad hostem insequen-

tem dorso, in fugam sese dant. Fecerunt id sæpè Davidis hostes tum externi, tum etiam Israëlita, et nunc sub extrema tempora, cum fusus est et cæsus Absalomis exercitus. Et hæc mihi expositio potior est. Sed etiam hostile dorsum aliquid aliud indicat servilis conditionis, imò et infimæ servitutis obsequium; in dorso enim portantur onera. Psalm. 80, v. 7: *Divertit ab oneribus dorsum ejus.* In dorso servorum excipiuntur plagæ; unde cicatricosum dicitur servile tergum; et in Scripturâ sæpè flagellum, aut virga cum servorum tergo, aut dorso inveniuntur adjuncta. Proverb. 26, v. 5: *Virga in dorso imprudentium.* Nahum. 1, v. 13: *Conteram virgam ejus de dorso.* Vide quæ nos ad hunc locum. Sed præstant etiam victoribus victi aliud à dorso multò magis indignum ministerium. Substernunt enim se victoribus, et dorsum scabelli locum supponunt, cum ascensuri sunt aut equum aut currum. Quod planè miserandum et barbarum obsequium præstare sibi voluerunt Tamerlanus à Razane Turcarum principe, et Sapor Persarum rex ab imperatore Valeriano. Quod fuisse usitatum apud Hebræos suadet illud Psalmi 109: *Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Sed est sine dubio hic locus de fugâ inimicorum intelligendus, quia hic de illis hostibus videtur esse sermo, qui ex Israëlita gente persecuti fuere Davidem: nam et ille clamasse dicitur ad Deum, à quo illorum preces nihil impetrârunt, ut habes statim vers. 42, quod nullo modo cadit in externos, et iidem sæpè fugisse dicuntur toto tempore, quo domus Saülis imperio se Davidis opposuit. In horum dorsum sævisse plagis inflictis, et dorso onera imposuisse, atque adeò illis pro scabello ad conscendendum equum usum esse Davidem, non est verisimile.

VERS. 42. — CLAMABUNT, ET NON ERIT QUI SALVET; AD DOMINUM, ET NON EXAUDIET EOS. Agebat Dominus causam Davidis, atque ideò non tam favebat, quàm oppugnabat adversarios, qui cum essent ex Israëlita semine assueti sacrificiis et tabernaculo, sine dubio cum impendere sibi cernerent capitis periculum, clamabant, ut à parentibus didicerant, supplices ad Dominum, à quo tamen ad ipsorum vota exauditi non sunt. Hæc in psalmo 17 leguntur in præterito: quod quomodò juxta Hebræorum idioma fieri possit, paulò ante docuimus.

VERS. 43. — DELEBO EOS UT PULVEREM TERRÆ, QUASI LUTUM PLATEARUM. Hyperbole in sacris

litteris non infrequens, quæ extremum significatur exitium. In pulvere enim duo videmus, in suo quodlibet extremum genere: est enim tenuissimum, in quo nihil solidi, nihil firmi, et qui à difflante vento facilè dissipatur. Est præterea vile, quod tam hominum, quàm belluarum vestigio calcatur. Quare cum aliquis deleri dicitur tanquam terræ pulvis, facilè dicitur esse delendus, quia nullam habet pulvis ad repugnandum, seu resistendum vim, quem ventus jactat, circumagit et dissipat. Nisi mavis ita esse conterendos et delendos hostes, ut cum minutissimo pulvere comparari queant, in quo illius molis, ex quâ contritus est, vix ullum solet apparere vestigium. Quales videre potuerunt Ammonitæ, super quos David tribulos, et trahas, et ferrata carpenta transire fecit. Vide quæ diximus supra, lib. 2, cap. 12, v. 31.

De luto platearum idem fermè dicendum: est enim pulvis ab humore coactus, qui vilissimus est, et tam ab homine, quàm à belluâ calcando subigitur. Cumque omne lutum vile sit, hominibusque ubicumque molestum, illud tamen, quod in plateis est, majori est hominibus fastidio, quia cum ibi plerumque major inveniatur hominum frequentia, magis est subactum ac dissolutum, quàm quod in agris locisque desertis invenitur. Hæc porrò proverbiale aliquid olent, et in Scripturâ sacrâ proverbialem in modum usurpantur. Isaïæ c. 10, v. 14, et Nahum c. 7: *Nunc erit in conculcationem, ut lutum platearum.* De pulvere res multò frequentior. Psalm. 34, v. 5: *Fiant tanquam pulvis ante faciem venti.* Isaïæ 29, v. 5: *Et erit sicut pulvis tenuis multitudo ventilantium te.*

VERS. 44. — SALVABIS ME A CONTRADICTIONIBUS POPULI MEI. Hæc, et pleraque eorum quæ sequuntur, futuri temporis terminationem habent in textu Hebraico, quæ, ut reor, rem significant jam ante transactam, juxta regulas à nobis nuper adductas, quomodò Pagninus, et Tigurina, et Hispanica translatio convertunt, imò in quibusdam locis vulgata translatio in psalmo 17; nam ubi, v. 44, legimus, *serviet*, et 45, *obedient*, in psalmo 17 legimus, *servivit*, et *obedivit*, et ita putat Abulensis hic. Et sanè quæ hic referuntur, non videntur facta post hoc tempus, quia jam ab omnibus inimicis suis fuerat liberatus David, ut constat ex titulo huic cantico præfixo; et quæ hic narrantur omnia, satis temporibus præteritis circumlatè videntur impleta. Duo hic beneficia magna agnoscit David à Domino profecta, et quòd ab

his qui ex suo populo ipsius vitæ ac regno insidiati fuerant, liberatus fuerit; et quod externos populos sibi atque Israelitico jugo parere coegerit. Civilia autem atque intestina bella contradictiones vocat, quæ fuere ante initum regnum, et postquam illud tandem obtinuit, sanè non paucæ. Dùm viveret Saül, illum habuit salutis suæ oppugnatorem acerrimum, et alios plurimos, qui ad impium illud consilium regium animum instimulabant. De quibus lib. 1, c. 26, v. 19. Cùm verò jam unctus est, et rex appellatus in Hebron pro Isboseth filio Saülis, magnam Israelis partem contra Davidem concitavit Abner; deinde Absalom, ac tandem Seba à Davidis partibus magnam Israelitici populi partem abduxerunt.

CUSTODIES ME IN CAPUT GENTIUM. Hæc etiam per tempus præteritum expono. Hoc enim tempore David plurimos ex gentilibus populis, sub jugum egerat Israelitici regni. Quales fuerunt Idumæi, Ammonitæ, Moabitæ, Syri, ut constat c. 18. In caput eorum custoditus dicitur, quia à domesticis hostibus servatus est, ut externos subigeret. In psalmo 17 legimus: *Constitues me in caput gentium*, quia illas sibi constituit vectigales, et pro summo imperio de illarum rebus suo constituit arbitratu. Hanc porrò gentilibus populi servitutem statim explicat, dùm subdit:

POPULUS, QUEM IGNORO, SERVIET MIHI. Hic populus gentilius est, qui ignotus dicitur Davidi, quo sensu illos ignorare dicimur, quorum neque ingenium et mores, neque institutum probamus vivendi modum; aut quia, ut loco, sic etiam religione et vitæ genere separati sunt. Quo modo Deus Amos cap. 5, vers. 2, tantum dicit sibi Israeliticum populum esse cognitum, quia illum habet et familiarem sibi, et suis obsequentem legibus. *Tantummodò*, inquit, *vos cognovi ex omnibus cognitionibus terræ.*

VERS. 45. — FILII ALIENI RESISTENT MIHI. Obscurum est, quinam sint hi viri, qui vocantur alieni. Quidam *gentiles* esse putant, quibuscum David bella gessit plurima, qui omnes adhibuerunt vires et machinas, ne rem promoveret Israeliticam. Alii, quod magis probò, hos Israelitas interpretantur, qui cùm favere Davidi debuissent, à quo multis ornati fuerant modis, adversus tamen illum manus armaverunt infideles et impias. Quales fuerunt, qui Absalomis adhæsere partibus, et illius animum ad sceleratum consilium, et implam conjunctionem induxerunt. Qualis fuit Achitophel et

alii, qui tunc Absalomem, deinde Seba seditiosum hominem secuti sunt. Sic tamen illos beneficiis sibi demeruit David, ut magno postea studio in ipsius causam contra domesticos et externos hostes non minùs prompto atque constanti animo incuberent, quàm priùs fuerant adversati. Ut satis docuerunt Abner et Amasa; alter à Saüle, alter ab Absalome constitutus dux et imperator; qui magno ardore animi causam suscipere Davidicam, illamque promovissent, ut apparet, strenuè, nisi Joab fraudulentò consilio, adacto per viscera pugione, illorum conatus interceptisset. Atque ideò subditur:

AUDITU ORIS OBEDIENS MIHI. Nam omnes, quotquot secuti fuerant Isboseth, anplexi sunt Davidem, agente Abnere, supra c. 5, v. 17; et c. 5, v. 1, itidem qui priùs in castris fuerant Absalomis, ad fidem ante datam Davidi redierunt, et illi operam deinde præstitere fidelem. Illa porrò tria verba, re aut significatione conjugata, *auditu, auris, obediens*, sive, ut in psalmo 17, legimus, *obedivit*, magnam habent epitasim: significant enim submissum animum, et prompto atque hilari studio mandata præstantem. Quod quidem non est Dei vulgare beneficium, sic tenere alienos quondam homines imperio auctoritateque constrictos, ut nihil contra conari, imò neque leviter contra mutire audeant.

VERS. 46. — FILII ALIENI DEFLUXERUNT, ET CONTRAHENTUR IN ANGSTIIS SUIS. In psalmo 17: *Filii alieni mentiti sunt mihi; filii alieni inveterati sunt, et claudicaverunt à semitis suis.* Eadem utrobique verba sunt in Hebraico textu. Neque in sententiâ aliquid est diversum. Septuaginta in psalmo 17 videntur explicare voluisse paraphrasticè. De quorum translatione mox, ubi à præsentis loci expositione nos exsolverimus. Primum, in filiis alienis Israelitas intelligo, qui alieni fuerunt à Davidis studiis, et ad inimicorum castra transfugerunt. Illi itaque defluerunt, id est, fracti sunt et animo, et viribus, et in angustias redacti contraxerunt spiritus ante minaces, quos inani ostentatione jactaverant, atque ideò supplices porrexere manus, quia velle repugnare diutiùs ex usu sibi fore non putabant. Hanc puto loci hujus expeditam esse sententiam.

In psalmo 17, res est obscurior. Ubi *Vulgatus, mentiti sunt*, Hebr. est *כִּזְבוּ*, quod variè à variis redditur. Qui hæc de hostibus externis interpretantur, qui Davidi multò potentiore succubuerunt, mentitos illos dicunt, quia ut

metum à se et periculum depellant, fingunt aut se nunquam arma contra Davidem assumpsisse; aut certè velle se illius imperio in omnibus parere, idque se reipsà facturos animo non solum prompto, sed etiam libenti atque hilari; cùm tamen ad omne obsequii genus, et pendenda imposita tributa ferantur inviti. Quod idem dici etiam posset de his qui ex Israelitico semine in caput, regnumque Davidis conspirarunt; qui cùm viderent Davidem in bello fuisse superiorem, nihil non fingebant ac mentiebantur, quò illius à se offensionem averterent. Alii in aliâ significatione capiunt verbum *כִּזְבוּ*, quod non solum mentiri significat, sed etiam macrescere, attenuari, aut, ut etiam noster vertit interpret, defluere; quod idem est atque vires amittere, despondere animum, et omnes nervos tam animi, quàm corporis omninò dissolvi. Quare is erit sensus, nihil perfecisse domesticos hostes, quantumcumque essent inflammati odiis atque armis instructi: omnia enim, quæ in Davidis caput comparata fuerant, irritò conatu momento temporis extabuerunt. Atque ideò ad illius se pedes objecere supplices, quem priùs extinctum esse cupiebant.

Sed, ut à Vulgatæ verbis non recedamus, quæ in psalmo 17 alienos filios mentitos esse dicit, observo verbum, *mentior*, et illius cognata nomina, qualia sunt, *mendacium* et *mendax*, significare interdum fallaciam et fraudem, cùm aliquis largus est in promittendo, deinde cùm usus rei promissæ necessarius advenerit, promissa non apparent. Quales fuerunt viri Ephraimitæ, de quibus psal. 77, v. 9: *Filii Ephren intendentes et mittentes arcum, conversi sunt in die belli.* Sic mendacem appellamus agrum, qui neque votis, neque expectationi respondet agricolæ, cùm messis tempore evanidæ appareant spicæ, aut emissâ grandine sternuntur segetes, et perit totus agriculturalum labor. Sic Oseas cap. 9, v. 2: *Area et torcular non pascet eos, et vinum mentietur eis*, quia videlicet cùm exulta vinea vinitori suo uberes proventus ostenderet, exusta vinea vinitori suo uberes proventus ostenderet, exusta gelu, aut vento urente spem omnem vinitoris elusit. Sic Habacuc 3: *Mentietur opus olivæ, et arva non offerent cibum.* Quæ etiam dicendi forma profanis inusitata non est. Horatius lib. 3, ode 1:

Non verberatæ grandine vineæ,

Fundusque mendax.

Et libro 2, epist. 2:

Verum ubi oves furto, morbo perièrè capellæ,

Spem mentita seges, bos est enectus arando.

Sic igitur illi, qui filii vocantur alieni, promittebant multa, sicut ager fallax et mendax, qui pro frumento tribulos reddit, et noxias herbas cultori suo: sed præstitere nihil, nisi quod laceraret et pungeret. Et hoc ipsum videtur indicare quod statim subditur: *Claudicaverunt in semitis suis*, id est, non rectos instituerunt gressus suos, dùm aliò viderentur profecturi, et aliò in medio cursu declinarent, et in fraudulentâ benevolentiae specie, occultas et veras molirentur insidias. Hæc David ipse querebatur psalmo 40, v. 10, dùm idem sibi accidisse affirmat ab his qui illi et debebant et promittebant omnia. *Etenim homo pacis meæ, in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.*

VERS. 47. — VIVIT DOMINUS, ET BENEDICTUS DEUS MEUS. Ex hoc loco ad finem usque continetur totius cantici summa complexio; beneficiorum nempe Domini, propter quæ Dei benignitatem tantopere commendat. Quæ omnia ejusmodi sunt, ut aut nihil contineant novi, quod supra à nobis explicatum non fuerit; aut ita sint aperta, ut interpretis lucem non desiderent. Illud: *Vivit Dominus*, juramentum non est, sed est vox quæ ad divinam pertinet laudem, quæ Deum vivum esse confitetur, atque laudabilem, et omni commendatione dignum, longè alium ab illis quos deos appellat cæca gentilitas, qui neque vivi sunt, cùm è ligno sint, aut marmore artificum operâ fabricati: neque fecerunt unquam, aut facturi sunt aliquid laudabile. Huic vivo atque laudabili, et in æternum benedicto Deo salutem suam refert acceptam; et quòd de quibusdam, quos habuit suæ salutis infensos, vindictam sumpserit, alios à regni, alios à vitæ statione depulerit. Propterea curaturum se dicit concinnandis, pangendisquæ carminibus, ut gentes etiam externæ divinæ majestatis gloriam agnoscant.

VERS. 51. — MAGNIFICANS SALUTES REGIS SUI, ET FACIENS MISERICORDIAS CHRISTO SUO DAVID, ET SEMINI EJUS IN SEMPERNUM. Salus multa significat, et in his victoriam, laudem et triumphum, ut nos pluribus ostendimus ad illud Isaie cap. 60: *Occupavit salus muros tuos.* Et quidem qui victorias ab hostibus consecuti sunt, illi fecisse dicuntur salutem. Ut lib. 1 Reg. cap. 14, v. 45, Jonathas, qui magnam de Philisthæis consecutus est victoriam, salutem dicitur fecisse magnam. Et 1 Machab. 4, v. 25, salus item magna dicitur Machabæis facta. Illud, *regis sui*, ad ipsum Davidem regem re-

fertur, quod statim per epexegem explicatur, dum subditur: *Christo suo David*. Dicitur autem David *rex Dei*, quia à Deo designatus, et Dei imperio unctus à Samuele. Quod ad extremum additur: *Et semini ejus in sempiternum*,

CAPUT XXIII.

1. Hæc autem sunt verba David novissima: Dixit David filius Isai; dixit vir cui constitutum est de Christo Dei Jacob, egregius psaltes Israel:

2. Spiritus Domini locutus est per me, et sermo ejus per linguam meam.

3. Dixit Deus Israel mihi; locutus est Fortis Israel: Dominator hominum, justus dominator in timore Dei;

4. Sicut lux auroræ, oriente sole, manè absque nubibus rutilat, et sicut pluviis germinat herba de terrâ.

5. Nec tanta est domus mea apud Deum, ut pactum æternum iniret mecum firmum in omnibus atque munitum. Cuncta enim salus mea, et omnis voluntas; nec est quidquam ex eâ quod non germinet.

6. Prævaricatores autem quasi spinæ evellentur universi; quæ non tolluntur manibus;

7. Et si quis tangere voluerit eas, armabitur ferro et ligno lanceato, igneque succensæ comburentur usque ad nihilum.

8. Hæc nomina fortium David. Sedens in cathedrâ sapientissimus princeps inter tres, ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu uno.

9. Post hunc Eleazar, filius patris ejus, Ahohites, inter tres fortes qui erant cum David quando exprobaverunt Philisthiim, et congregati sunt illuc in prælium.

10. Cùmque ascendissent viri Israel, se stetit et percussit Philisthæos, donec deficeret manus ejus, et obrigesceret cum gladio; fecitque Dominus salutem magnam in die illâ, et populus qui fugerat reversus est ad cæsorum spolia detrahenda.

11. Et post hunc Semma, filius Age de Arari. Et congregati sunt Philisthiim in statione; erat quippe ibi ager lente plenus; cùmque fugisset populus à facie Philisthiim,

verba respicit Nathan Prophetæ lib. 2, c. 7, v. 15: *Suscitabo semen tuum post te*, etc., et *stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum*.

CHAPITRE XXIII.

1. Et voici les dernières paroles de David: David, fils d'Isai, a dit, cet homme élevé en la gloire du Christ du Dieu de Jacob, ce chancre admirable d'Israël:

2. L'esprit du Seigneur s'est fait entendre par moi, et sa parole a été sur ma langue.

3. Le Dieu d'Israël m'a parlé; le Fort d'Israël m'a dit: Celui qui est le dominateur des hommes; le juste qui règne dans la crainte de Dieu,

4. Sera comme la lumière de l'aurore, lorsque le soleil, se levant au matin, brille sans aucun nuage, et comme l'herbe qui germe de la terre, fécondée par la pluie.

5. Ma maison, sans doute, n'était pas si grande devant Dieu, qu'il dût faire avec moi une alliance éternelle, une alliance en tout point stable et solide; car il m'a sauvé de tous les périls, il a exécuté tout ce que je voulais, et je n'ai rien désiré qui n'ait réussi.

6. Mais les violateurs de la loi seront tous exterminés comme des épines que l'on arrache, auxquelles on ne touche point avec la main;

7. Mais on s'arme contre elles du fer et du bois de la lance, et, livrées au feu, elles sont consumées sans qu'il en reste plus rien.

8. Voici le nom des vaillants hommes de David. *Adino, Hesnite*, fut le premier d'entre les trois *les plus signalés*; il s'assit dans la chaire comme un homme très-sage, et quoiqu'il parût *délicat* comme un petit vermisseau de bois, il tua huit cents hommes sans se reposer.

9. Eléazar l'Ahohite, fils de son oncle, était le second entre les trois vaillants hommes qui se trouvèrent avec David lorsqu'on insulta aux Philistins, et qu'ils s'assemblèrent dans un certain lieu pour donner bataille.

10. Les Israélites ayant fui, Eléazar *seul* fit ferme, et battit les Philistins jusqu'à ce que sa main se lassât et qu'elle demeurât attachée à son épée. Le Seigneur donna en cette journée une grande victoire à Israël, et ceux qui avaient fui retournèrent pour prendre les dépouilles des morts.

11. Après lui était Semma, fils d'Agé, d'Arari. Les Philistins s'étaient assemblés près d'un

42. Stetit ille in medio agri, et tuitus est eum, percussitque Philisthæos; et fecit Dominus salutem magnam.

15. Necon et ante descenderant tres qui erant principes inter triginta, et venerant tempore messis ad David in speluncam Odollam; castra autem Philisthinorum erant posita in Valle Gigantum.

14. Et David erat in præsidio; porrò statio Philisthinorum tunc erat in Bethlehem.

15. Desideravit ergo David, et ait: O si quis mihi daret potum aquæ de ci ternâ quæ est in Bethlehem juxta portam!

16. Irruperunt ergo tres fortes castra Philisthinorum, et hauserunt aquam de cisternâ Bethlehem, quæ erat juxta portam, et attulerunt ad David. At ille noluit bibere, sed libavit eam Domino,

17. Dicens: Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hoc! num sanguinem hominum istorum qui profecti sunt, et animarum periculum bibam? Noluit ergo bibere. Hæc fecerunt tres robustissimi.

18. Abisai quoque, frater Joab, filius Sarviæ, princeps erat de tribus. Ipse est qui levavit hastam suam contra trecentos quos interfecit. Nominatus in tribus,

19. Et inter tres nobilior, eratque eorum princeps, sed usque ad tres primos non pervenerat.

20. Et Banaïas, filius Joiadæ viri fortissimi, magnorum operum, de Cabseel. Ipse percussit duos leones Moab, et ipse descendit et percussit leonem in mediâ cisternâ in diebus niyis.

21. Ipse quoque interfecit virum Ægyptium, virum dignum spectaculo, habentem in manu hastam; itaque cùm descendisset ad eum in virgâ, vi extorsit hastam de manu Ægyptii, et interfecit eum hastâ suâ.

22. Hæc fecit Banaïas filius Joiadæ.

23. Et ipse nominatus inter tres robustos, qui erant inter triginta nobiliores; verumtamen usque ad tres non pervenerat. Fecitque eum sibi David auricularium à secreto.

24. Asael, frater Joab, inter triginta;

château où il y avait un champ de lentilles, et ayant fait fuir le peuple devant eux,

12. Il demeura ferme au milieu du champ, le défendit, et battit les Philistins; et Dieu lui fit remporter une victoire signalée.

15. Avant cet événement, les trois qui étaient les premiers entre les trente, étaient venus vers David dans la caverne d'Odollam, au temps de la moisson; et le camp des Philistins était dans la Vallée-des-Géants,

14. Et David était dans la forteresse. Or, un corps de Philistins était à Bethléhem.

15. David donc eut une envie, et dit: Oh! si quelqu'un me donnait, à boire de l'eau de la citerne qui est à Bethléhem, auprès de la porte!

16. Aussitôt ces trois vaillants hommes passèrent au travers du camp des Philistins, et allèrent puiser de l'eau dans la citerne de Bethléhem, qui est auprès de la porte, et l'apportèrent à David; mais David ne voulut point en boire, et il la répandit en l'honneur du Seigneur,

17. Disant: Que le Seigneur me soit propice! je ne ferai point cela: boirais-je le sang de ces hommes et ce qu'ils ont acheté au péril de leur vie? Ainsi il ne voulut point boire de cette eau. Voilà ce que firent ces trois vaillants hommes.

18. Abisai, frère de Joab, et fils de Sarvia, était le premier des trois *autres*. C'est lui qui combattit *seul* contre trois cents hommes, qu'il tua de sa lance. Il s'était acquis un grand nom parmi les trois.

19. C'était le plus estimé d'entre les trois *seconds*, et il en était le chef; mais il n'égalait pas néanmoins les trois premiers.

20. Banaïas de Cabseel, fils de Joiada, homme très-vaillant, fit aussi de très-grandes actions: il tua les deux lions de Moab; il descendit et frappa un lion au milieu de la citerne dans le temps des neiges.

21. C'est lui aussi qui tua un Égyptien, homme remarquable, qui tenait une lance à la main, et Banaïas la lui arracha, n'ayant qu'une baguette seulement, et le tua de sa propre lance.

22. Voilà ce que fit Banaïas, fils de Joiada.

23. Il était illustre entre les trois *seconds*, qui étaient les plus estimés des trente; mais néanmoins il n'égalait pas les trois *premiers*. David le prit auprès de sa personne pour exécuter ses commandements.

24. Asael, frère de Joab, fut de trente, qui